



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Compendium Qvæstionvm Regvlarivm R. admodum P.
Emanuelis Roderici Lusitani, S. T. Lectoris Prou. S. Iacobi
Reg. Obseru. Ordin. Mino. Diffinitoris**

Rodrigues, Manuel

Lvgdvni, 1621

P.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41743

330 ORNAMENTA.

quoad forum conscientiae; unde *Leo X.* concessit de nouo, & declarauit omnes Fratres secure vti posse viua vocis oraculis passim contentis in libris Ordinis. *to. 3. q. 22. art. 1. & 2.*

Nisi tamen Prouincialis cum Capitulo iudicauerit ab illis abstinendum: in hoc enim casu censerentur auctoritate Apostolica reuocata, & suspensa. *art. 3.*

ORNAMENTA.

Non licet Fratribus Minoribus procurare ornamenta pretiosa, nec utensilia, aut aedificia sumptuosa, quamuis iuxta priuilegia, & declarationem *Leon. X.* possint iam receptis vti, aut a spontaneè offerentibus cum assensu Capituli Prouincialis, secundum concessionem *Sixti IV.* de nouo acceptare, quandoquidem non sint illorum domini, sed tantum custodes. *to. 3. q. 25. a. 1.*

Item conceditur ipsis, vt illicite & culpabiliter procuratis vtantur in posterum: licet enim procuratio sit illicita, vsus tamen est licitus. *art. 2.*

PAROCHVS.

Quandocumque in priuilegiis dicitur, *Saluo semper* int
Pno

PAROCHVS. 331

Parochiali, intelligendum est de decimis & primitiis, quæ Clericis à populo debentur, non de aliis; unde potest parochianus inuito Parocho audire Missam in Ecclesiis Fratrum Mendicantium. *tom. 3. q. 28. art. 1.*

Ex statuto *Leonis X.* non licet Fratribus cū Cruce intrare Parochiam ad leuandū corpus apud se sepeliendum, non petita licentia Parochi, sed bene ipso recusante: imo nec est necesse vt petatur, si consuetudo super hoc antiqua, quæ sit in viridi obseruantia, & cū pacifica possessione, suffragetur, saluo tamen semper præiudicio ipsius Parochi quoad quartam funeralium, vbi debetur. *art. 2.*

Per Parochiam hic non intelligitur Ecclesiæ, ad quā non est necesse inferri illud corpus, sed locus in quo populus parochialis degit, *ibidem.*

Ecclesiæ Parochiales & Capellanix habentes populum, aut quæ aliàs existentes sæculares fuerunt annexæ Monasteriis etiam exemptis, tenentur Episcopo ad subsidiū charitatum; nisi sint annexæ Societati

cietati I B S V, quæ ab hac solutione exempta est per *Greg. XIII.* & pet consequens omnes illi Ordines qui eius priuilegiis communicant. Eadem concessio facta est Fratribus Sancti Ioannis Hierosolymitani à *Leone X.* & *Clemen. VII.* aliisque Summis Pontificibus. *to. 2. q. 67. art. 2.*

In partibus Indiarum, possunt Regulares de licentia Capituli prouincialis institui Parochi voluntate Ordinariorum non requisita, intra & extra Monasterium, in locis assignatis per substitutos Regis Hispaniæ; ibique exercere omnia prædictum officium concernentia. *tom. 1. q. 35. art. 1.*

Dicti Fratres licet ubi ex charitate acceptarint, teneantur ex iustitia ministrare populo necessaria ad salutem: non sunt tamen vere Parochi, nec habent iurisdictionem ordinariam, alteri delegabilem; quia nunquam illud onus Curati acceptare voluerunt. *art. 5.*

Episcopi Indiarum, post priuilegium *Pij V.* quo possunt Fratres, vt supra deputati; exercere munia Parochi; nequeunt quidquam inuolare,

P A V P E R T A S. 333

aut prohibere, aliàs nihil faciunt,
& Fratres non obstante eorum pro-
hibitione licitè officio Parochi fun-
guntur, licet populus semper ma-
neat Episcopis subiectus. *a. 5. & 6.*

P A V P E R T A S.

Vide sepultura, Votum.

Paupertas Regularis est votum
solemne, quo quis profitetur se
nihil habere, nec habere posse. *tom. 1.*

1. q. 29. art. 3.

Hoc voto prohibetur omnis Mo-
nachus, etiam Canonicus Regularis,
habere sibi seu suo nomine vllum
dominium directum, vel vtile, aut
possessionem in pecunia seu re pe-
cunia aestimabili; qualia tamen non
sunt Beneficia, Tituli, Dignitates,
Prioratus, &c. quorum ius habere
potest nomine proprio, *art. 4.*

Monachus post emissum votum
acquirès, acquirit quoad dominium
soli Deo & Christo, cuius etiã sunt
omnia Deo, & Ecclesiis data; ius au-
tè administratoriũ supremũ seu ge-
nerale acquirit Papæ, & vniuersali
Ecclesiæ; sed ius administratorium
subalternum seu speciale acquirit
suis

suis

fuo Monasterio eiusmodi iuris capaci, alias soli Papæ; vnde, quod ius habent Monasteria ad bona temporalia, est tantum administratorium sibi ab Ecclesia concessum. *art. 5.*

Milites Regulares valentes ex priuilegio nubere, possunt possidere, non tantum acquisita ante professionem, sed etiam post; vnde & dare etiam prouenientia ex suis commendis, & testari possunt, ex scita & antiqua consuetudine præscripta. *art. 7.*

Permissum est Superiori certa causa dare Monacho ius administrandi certum peculium, pro indumentis, vel quotannis certam pecuniæ quantitatem. cum hoc non fit dare proprietatem, vnde postea potest illa ab eodem auferre, quandoque voluerit; quamuis iuravit se non reuocaturum, peccat tamen si sine causa faciat. *ar. 8. & 9.*

Oeconomus institutus alicuius peculij, impendens illud contra mentem Superioris, peccat. Idem est dicendum de rebus concessis a Pralato ad suos usus, vnde etiam de

de superfluis, quæ sibi sua parcitate subtraxit ad vitam, non potest disponere, nisi in moderatas elemosynas, aut alias necessitates. *articulo, 10.*

Occultare aliquid Prælato cum animo non illi consignandi, aut recipere aliquid sibi sine licentia, est mortale, vbi materia est notabilis, nisi sit magna necessitas aut exploratum sit consentire saltem interpretatiuè Prælato in eas res, ita vt ab ipso peteretur licentia, eam expressè daret, quamuis modus clandestinè faciendi illi displiceat. *ibid.*

Recipere autè res parui momenti aut mediocris, vel eas tradere alicui Fratri, aut commutare cum alio extraneo vel domestico, absque animo occultandi tempore quo peterentur, & cum aliqua opinione consensus Superioris, non est peccatum nisi aliud præceptum obedientiæ declarauerit. *art. 10.*

Sicut nec ea accipere, quæ ad priuatorum Religiosorum vsum sunt necessaria, si ea Prælatus deneget; quia hoc non est actum dominij, aut proprietatis admittere, cum

non

non ex iustitia, sed ex charitate; Religionisque institutis debita res sit, sed vsus rerum necessariarum habere, quod voto non repugnat. *ibid.*

Quæ sit quantitas parua aut notabilis; *vide ibid.*

Nō excusatur à mortali Prælati cōcedēs subdito, vt quæcumq; bona, quæ nec sunt necessaria, nec statui conuenientia, in quosuis vsus expēdat: neque subditus sic vtēs. *art. 11.*

Moniales de Superioris licentiā licitè vtuntur certis redditibus vitalitiis, ad suas particulares necessitates, & pias causas: quod non est contra, sed potius iuxta *Concil. Trid. sess. 25. de Reg. c. 2.* quia administratio; & possessio est penes quandam Religiosam, quæ depositaria vel bolsera vocatur à Superiore designata, cui manifestantur necessitates, & prædicta bona sunt Monasterij quoad proprietatem, & vsufructum. *art. 12.*

Stipendium recipere pro Missis contra constitutionem Ordinis etiam non obligantem ad peccatum, est cōtra votum paupertatis, & mortale, & etiam si Superior dispenset

P A V P E R T A S. 337

cū aliquo vt habeat pecuniā iustis de causis, non censetur dispensare in hoc modo acquirendi, vnde sic acquirens peccat. Sicut & ille qui pro aliquo sacra faceret, vt certæ personæ pauperi, vel consanguineo centum v.g. argenteos daret. *art. 13.*

Concil. Trid. sess. 25. de Regul. cap. 3.
concedit omnibus Monasteriis & domibus tam virorum quàm mulierum mendicantium, non obstante eorum Regula, aut constitutione, bona etiam immobilia possidere. Quæ concessio non se extendit ad Fratres Minores Capucinos, neque ad eos qui sunt de Observantia. *art. 14.*

Paupertatem Fratrum Minorum, omne prorsus bonorum dominium tam in communi quàm in particulari abdicantem, & solo simplici vsu facti rerum necessariorum ad vitam, & exercitiū Ordinis contentam, esse laudabilem & meritoriā, multi Pontifices declararunt. Et *Ioannes XXII.* reuocauit ante mortem suam quidquid dixerat, vel fecerat contrarium Ecclesiæ, vel determinationi Romanorum Pontifi-

Y

CUM

cum circa hoc, *quæst. 30. art. 1.*

Fratres Minores Conuentuales seruantes Regulam secundum priuilegia sibi à pluribus Pontificibus indulta, sunt omnino tuti in conscientia, cum illam Regulam sub illa limitatione expressè vouerint, sitque eiusmodi dispensatio seu laxatio licita, & non subreptitia, ut nonnulli ausi sunt affirmare, *art. 4.*

P E S T I S.

Non est licitum Prælatis Regularibus tempore pestis inseruire sæcularibus, ne hoc cedat in præiudicium ouium suarum, quibus etiam tunc Sacramenta ministrare tenentur, & sicut alij Pastores sibi antidota sumere si suppetant, aliæque facere quæ conducunt ad leuandos Fratres infirmos, ut & suam vitam tueri, & munus suum valeant implere, *tom. 3. q. 31. art. 2.*

Certum est, non solum licitum esse, sed & honestum, vitam propriam pro proximi vita tuenda exponere, cum sit opus summæ charitatis; tamen qui neque ex officio, neque ex professione ad illud tenentur, quales sunt qui ex instituto
Regulæ

Regulæ vacant soli vitæ contempla-
tiue, nunquã obligantur hoc facere,
etiam si id eis expressè præcipiatur,
cum hoc præceptum non spectet ad
obseruantiam Regulæ, neque ad
generale communitatis bonum. Te-
nentur tamen, deficiente Prælato,
ministrare suis Fratribus, & qui ad
hoc fuerint deputati, aut ex obe-
dientia missi. *art. 3.*

Fratres Mendicantes, quibus ex
instituto Regulæ incumbit salutem
animarum procurare, & vt declara-
uit *Clem. V.* esse coadiutores Pasto-
rum, tempore pestis non possunt
fugere, sed deficiētibus Pastoribus,
aut non sufficientibus ob multitu-
dinem populi, tenentur coadiuuare,
& ministrare populo, præsertim si
ab Episcopo ad hoc vocentur, aut
eorum necessitas euidenter appa-
reat. *art. 4.*

P R A E C E D E N T I A.

Vide Processio.

P R A E D I C A R E.

Regulares cuiuscumque Ordini-
nis, de licentia suorum Præ-
latorum, & petita benedictione ab
Epi

Episcopo, licet non obtenta, possunt
 predicare in suis Ecclesiis, ac in pla-
 zeis, & communibus locis; nisi ipse-
 met Episcopus velit ibidem vel in
 suis Ecclesiis predicare, aut coram
 se predicari facere. *to. 3. q. 32. art. 1.*

Ad concionandum vero in Pa-
 rochiis, & aliis Ecclesiis requiri-
 tur expressa sui Superioris & Epi-
 scopi licentia. Tenent tamen viri
 docti, Curatum posse dare licentiam
 Regulari notorie docto, concionan-
 di bis, tunc in sua Parochia, sine
 Episcopi approbatione. Et Patres
 Iesuitae, necnon communicantes
 eorum privilegii, approbati ab vno
 Episcopo, habent dum itineran-
 tur, facultatem ubique predicandi,
 non contradicente Parocho pro-
 prio, nisi adsit ibi Episcopus loci,
 a quo tunc licentia petenda. *art. 1.
 & 5.*

Sub poena maledictionis aeternae
 prohibitum est detrahere specia-
 tim de Praelatis, & Superioribus
 Ecclesiasticis aut Regularibus. *a. 2.*

Prædicationem Evangelicam,
 etiam in terris infidelium, habere in
 occulto non decet. *art. 3.*

Ne

Neque etiam ad augmentum fidei
armis associari. *art. 4.*

Regulares cum non habeant a
Papa iurisdictionem ad conciones
populo faciendas, sicut habent ad
confessiones audiendas, sed tantum
approbationem mendicatum ab
Ordinario; toties tenentur eam pe-
tere, quoties ab eo, aut successori-
bus sibi fuerit ablata per suspensio-
nem, aut prohibitionem. *art. 6.*

Bonifacius IX. sub excommuni-
catione ipso facto incurrenda pro-
hibuit, ne Prælati Ecclesiastici, aut
alij quicumque populum aut Paro-
chianos retrahere præsumant à cō-
cionibus Fratrum audiendis, quan-
do & quoties audire voluerint.
art. 7.

Episcopi tanquam Sedis Apo-
stolicæ delegati, procedunt contra
Regulares etiam exemptos generali
vel speciali priuilegio, errores aut
scandala prædicantes. *Ex Conc. Trid.*
sess. 5. c. 2. art. 8.

Expulsus ab Ordine, vel degens
extra claustra est ipso facto suspen-
sus à munere prædicationis, non-
obstante quocumque priuilegio.

342 P R A E L A T V S.

art. 9. Vide Claustum.

Leo X. concessit quòd Prædicatores verbi Dei, & Cōfessarij Ordinis Minorum, quando actu prædicant, possint mutare diuinum officium, v. g. feriale in festum, & è contrà; non tamen in fraudem officij, sed vt liberiùs consolationi fidelium vacent. *art. 12.*

Ex concessione eiusdem licitum est regularibus actus prædicantibus anticipare, & retardare horas comestionis diebus ieiuniorum, & ferotinae collationis iuxta suã consolationem sine scrupulo. Quod intelligendum est etiam absente necessitate: aliàs priuilegium nullum esset. *art. 13.*

P R A E L A T V S.

Vide Absoluere, Alienatio, Altaria, Benedicere, Benefactores, Abbatissa, Custos, Descendentia, Dispensare, Electio, Illegitimus, Professio, Suspendio, Vicarius, Visitare.

Reges Hispaniarum sunt Prælati omnium Ordinum militarium Hispaniensium. *tom. 3. qu. 34. art. 11.*

Murea

PRÆSCRIPTIO. 345

Multa pulchra omnibus communia habet Author de conditionibus requisitis in Prælato; *in sequentibus, & tom. 2. q. 4. & 5. usque ad 44. inclusivè.* Vbi de correctione Fratrum, visitatione, inquisitione, & similibus agitur.

PRÆSCRIPTIO.

Præscriptio quadraginta annorum cum titulo & bona fide valet contra Ecclesiam; sed contra curiam Romanam requiritur decursus centum annorum. Quod ex privilegio *Eugenij I V. & Pij V.* extenditur ad Monasteria. *tom. 1. q. 36. art. 3. & tom. 3. q. 35. art. 2.*

Monasteria præscriptione transacta possunt etiam usque ad quatuor annos repetere restitutionem in integrum. *tom. 3. q. 35. art. 3.*

PRIVILEGIA.

Vide Absolvere, Confirmatio privilegiorum, Confessarij, Communicatio privilegiorum, Episcopus, Eremita, Exemptio, Excommunicare, Oblatus, Oraculum, Tertiary, Procurator.

Y 4

Plu

Plura habet author de privile-
giis, tom. 1. q. 7. 8. & 9.

Priuilegium communiter mare
magnum dictum, est compilatio
multorū priuilegiorum ibi mixtim,
confusēque contentorum, vnicui-
que Ordini à diuersis Pontificibus
concessorum. Mare magnum Fra-
trum Minorum incipit: *Regimini
vniuersalis Ecclesie*; Fratrum Pra-
dicatorum; *In nomine Domini*; Au-
gustinienſium: *Dum fructus vberes*;
Carmelitarum: *Dum attentā*; Mini-
morum: *Dum ad sacrum*. tom. 1. q. 7.
art. 4.

Priuilegia Regulariam non per-
duntur nisi per non vsum 60. anno-
rum, quemadmodum nec eorum
bona præscribuntur ante 60. annos
art. 3.

Imò non amittitur priuilegium
per non vsum 60. annorum, nisi
vtentes habeant scientiam illius, &
voluntatem non vtendi. art. 4.

Perdito priuilegio per non vsum
Religioni cui primo fuit cōcessum,
non ideo perditur Religioni dicto
priuilegio communicanti adinstar,
si interim illo vſa fuerit. art. 5.

Gene.

Generales Ordinum, Capitulum generale, & omnes Prælati habentes auctoritatem Apostolicam possunt tollere Guardianis, & aliis Fratribus, usum priuilegiorum. Imò Capitulum generale, vt pote totum Ordinem representans, id potest absque auctoritate Apostolica: nam liberum est cuique suo priuilegio renunciare. *quæst. 9. art. 2. Vide Oraculum vna vocis, & Exemptio.*

De reuocatione & perditione priuilegiorum multa habet. *art. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. & 11.*

Priuilegium Papæ impetratum à singulari Fratrem contra statuta sui Ordinis nullum est, ex *declar. Leon. X. & multorum Pont. 9. 10. art. 5.*

Quomodo & quādo priuilegia amittantur, *vide to. 3. q. 51. ar. 5. 6. & 7.*

Priuilegia cōcessa Abbati, nō extenduntur ad Cōmendatarium etiam perpetuum, licet sit in aliquib. verus Prælatus. Nec etiam priuilegia concessa cōmunitati, ad singulares personas eiusdem; nisi talia sint, vt non nisi per singulares personas exerceri possint, vt sunt concernentia prædicationes, confessiones, &c. *art. 10.*

Priuilegia indulta singularibus Monachis extenduntur etiam ad Generales, Prouinciales, & Abbates, qui in fauorabilibus sunt verè Monachi & Religiosi, licèt non in odiosis. *art. 11.*

Priuilegiis collatis iam professis, non gaudent Nouitij, nisi expressè id sonent, vt sunt indulgentiæ & absolutiones. *art. 12.*

PROCESSIO.

Regulares, qui in strictiori clausura non viuunt, vocati ad Processiones publicas, ire tenentur, & ad id ab Episcopo compelli possunt. *tom. 3. q. 36. art. 1.*

Non tamen tenentur, nisi publicæ sint, & pro re graui, & nisi prius vocentur. *ibid.*

Neque si eorum Conuentus vltra vnum miliare distent à ciuitate, tenentur ire, quamuis ab Episcopo vocentur. ex priuilegio *Leon. X. ar. 2.*

Imò Iesuitæ ex priuilegio *Greg. XIII.* ratione studiorum exempti sunt ab obedientia circa Processiones Episcopis præstanda. Et hoc idem priuilegium habent Collegia Fratrum Mendicantium, tam ratione

com

PROCESSION. 347

communicationis , quàm ratione
concessionis *Pij V.* ipsis facta , non
autem alij Conuentus. *ibidem.*

Regulares si aliquando accedunt
ad Processiones non vocati , aut ad
non publicas , v. g. ad funeralia
Principum, gratis id facere censen-
di sunt , nec ideo renunciant priui-
legio. *art. 3.*

In Processione omnes Regula-
res præcedunt Clerici ; inter Cleri-
cos alios omnes anteeunt Canonici
Ecclesiæ Cathedralis ; deinde se-
quuntur Canonici aliarum Eccle-
siarum ; Rectores Ecclesiarum sim-
plicium , Curati , & postremò alij.
Inter Religiosos, omnes præcedunt
Canonici Regulares , deinde Bene-
dictini , tertio alij Monachi secun-
dum antiquitatem suæ foundationis ;
postremò Mendicantes , inter quos
præeunt Prædicatores , sequuntur,
Minoritæ , ac deinde Eremitæ San-
cti Augustini, & tandem Carmelitæ.
Inter Regulares eiusdem Ordinis
præcedunt dignitate maiores, deinde
religione seniores. Abbates tamen
omnes etiam Canonicos præcedunt ;
Episcopus autem in suo territorio
dignio

digniorem semper locum obtinet.

Quest. 37. art. 1.

Cōtrouersias ortas etiā inter Regulares in Processionibus, & publicis Conuentibus. de præcedentia, potest & debet Episcopus cōpescere, omni appellatione postposita, & nō obstantibus quibuscumque. *Ex Cone. Trid. sess. 25. de Reg. c. 15. art. 3.*

Fratres Minores de Obseruantia ex declaratione *Leon. X.* debent in Processionibus præcedere omnes alios eiusdem Ordinis, etiam Conuentuales, & crucem suam in loco digniori deferre. *art. 4.*

Greg. XIII. statuit, vt secundum antiquitatem foundationis Conuentus in illa ciuitate, & non secundum antiquitatem foundationis Ordinis, Mendicantes, & alij Religiosi in Processionibus incederent; quod tamen in Hispania, & multis aliis locis non est receptum. *art. 4.*

PROCURATOR.

Vide Interdictum, Professio.

Institutio Procuratoris curiæ Romanæ in Ordine Minorum, pertinet de iure ad solum Generalem, cum
ille

PROCURATOR. 349

ille fit verus eius Vicarius ad certas causas deputatus: licet iuxta statuta fit à Diffinitorio eligendus; sed hoc est de bene esse: nam etsi reclamantibus omnibus electoribus solus Generalis eligeret, sic electus verus esset & legitimus Procurator. *tom. I.*

q. 53. art. 1.

Huius Procuratoris autoritas tanta est, quanta ei à Generali confertur, & non maior; de consuetudine tamen habere solet autoritatem expressam in suis literis peragendi negotia Ordinis in curia Romana; recipiendi hospites suæ familiæ; & apostatas in proprias cuiusque provincias remittendi. Cæterum autoritate Apostolica gaudet voce actiua & passiua in Diffinitorio Capituli generalis; nec potest continuari ultra triennium; ad eumque pertinet orare in Capella domini Papæ, & eidem interesse, vt repræsentet personam Ministri generalis.

art. 2.

Prior conuentualis cum non dependeat ab Abbate, sed à iure, potest cum suo Conuentu absque Abbatis consensu, constituere Pro-
Cura

curatorem pro bonis communitatis, & se suaque in illius obligatione obligare. Et idem esto iudicium de Superiore in Conuentibus, qui per Priores reguntur. Imò & quilibet Monachus, in iis quæ pertinet ad se solum, potest agere per se, & constituere Procuratorem. *tom. 3. q. 38. art. 1.*

Procurator sic institutus ab aliquo Conuentu nequit à Prouinciali moueri aut impediri; quia talis amotio seu reuocatio esset contra ius commune, & tyrannica. *ibid.*

Ex priuilegio *Martini V. & Innocent. I V.* possunt Prouinciales & Custodes Fratrum Minorum, aliquem Catholicum in Procuratorem seu Syndicum Conuentus nominare, qui statim ipsa denominatione institutus erit, & quando opportunum fuerit mutare, & alium nominare. Cui quidem danda est litera signata, vel saltem testes adhibendi ad faciendam fidem in foro exteriori; nisi diuturnitas temporis vices literarum & testium suppleat *quest. 39. art. 1.*

Potestas hæc Prouincialis instituendi

PROCURATOR. 351

tuendi Procuratorem est ordinaria,
& ipsis etiam Guardianis delegabi-
lis. *ibid.*

Et huius quidem Syndici vsus
antiquus est & contemporaneus S.
Francisco, nullo modo puritati Re-
gulæ aduersus; neque hoc negare
voluit *Ioan. XXI I.* aliquando eius
vsus prohibens; at tantum eius in-
stitutionem non competere Fratri-
bus, vt pote omnis iuris incapaci-
bus, sed authoritate Sedis Apostoli-
cæ, cuius sunt bona data Ordini,
faciendam hoc facto decreuit. *art. 2.*

Dictus Syndicus non tanquam
tertia persona interposita à Fratri-
bus, sed tanquam delegatus Sedis
Apostolicæ, authoritatē habet reci-
piendi in iurisdictionem Ecclesiæ
Romanæ omnia data, delegata, &
testamento relicta Fratribus mobi-
lia aut immobilia; necnon requisi-
tus à Ministris vel Fratribus de eo-
rundem consensu, omnia quibus
Fratres licitè vtuntur commutandi,
alienandi, tractandi, expendendi, &
in vsus Fratrum conuertendi etiam
mobilia, non seruata iuris solenni-
tate; rem iudicialiter agendi in
omni

omni

omnibus causis pro rebus & locis ad Ecclesiam Romanam spectantibus, & ipsorum Fratrum vsui concessis; atque etiam pro immunitatibus, libertatibus, iniuriis, iuribus, & priuilegiis Fratrum & Conuentuum. At licet ipse possit alios pro debitis Fratrum, conuenire, nequit tamen conueniri, nisi se obligauerit, neque à Fratribus regi ad postulandum in iudicio, aut ab eis importunè sollicitari, sed tantum humiliter moneri, vt eorum necessitatibus subueniat. Et eodem modo gerere se debent Fratres erga Magistratus, & alios Iudices. *art. 3.*

Constitutio Martiniana statuit, quod dictus Syndicus recipere valeat pecunias & alia oblata pro necessitatibus presentibus, aut imminentibus Conuentuum, & Fratrum; quod dupliciter fieri potest. Primò, recipiendo, conseruando, & consumendo illa nomine dantium; & tunc nominatur à Fratribus tamquam fidelis amicus ad benefactoris Regulam nostram ignorantis commoditatem. Et hoc est conforme declarationibus *Nicolai III. &*

III. & *Clementis V.* & omnino secundum Regulam. Secundò, recipiendo illa in iurisdictionem Ecclesie Romanæ, quemadmodum & alia, tamquam eius Procurator, quod post *Martini* constitutionem voluit & declaravit omnibus Fratibus licitè fieri *Yesse Paulus I V.* anno 1560.

Hoc interest inter Procuratorem, & Syndicum; quòd Procurator sit ille propriè, qui aliena negotia mandato sibi à proprio domino factò, gerenda gratuito suscipit; Actor autem seu Syndicus, qui instituitur ab vniuersitate, vel à non vero domino; vnde Syndicus Fratrum Minorum proprius debet nominari Procurator: ipse enim non instituitur à Conuentu vel à Fratibus, sed à Papa qui est verus dominus. Qua parte tamen est defensor Fratrum, & eorum immunitates & priuilegia facit via iuridica, vt actor, obseruari, Syndicus optimo iure nuncupatur. q. 41. art. 1.

Regularis non potest esse Procurator, nisi in causa sui Monasterij iudicante Prælato, quod habetur

Z

ex

ex constitutione *Clem. V.* Imò ne quidem sic officium hoc Fratri Minori competere potest. *art. 2.*

Affirmarunt aliqui vsum Syndici à familia Cismontana nunquam receptum fuisse : sed tamen consuetudo omnium prouinciarum, & statuta Barchinonensia expressè contrarium dicunt ; vnde omnibus etiam Recollectis & Discalciatis eo vti licet. Et certe hodie quasi necessarium videtur : nam vltra quòd Syndicus requiritur ad vendendum, commutandum, alienandum, omnino etiam desideratur ad pecuniam, & eleemosynam Fratribus oblatam, recipiendam. *q. 39, art. 4.*

Dictis eleemosynis per Syndicum siue dantium, siue Papæ nomine receptis debent Fratres vti vt pauperes secundum Regulæ modificationes, & intentionē summi Pontificis, scilicet moderatè. Licet etiam Prælati tales eleemosynas pecuniarias respuere, & prohibere ne recipiantur, propter abusus frequenter prouenientes. *ibid.*

Syndicum Fratrum Minorū Reges Hispaniæ exemerūt à c

buto,

PROFESSIO. 355

buto, quod sua lingua vocant *Pe-*
cho, & est in vsu. *q. 40. art. 1.*

Imo ipse cum vxore & liberis po-
titur omnibus gratiis Fratrum, quoad
indulgentias, & absolutiones pecca-
torum. Insuper ipse gaudet priuile-
gio fori per *Clem. VII.* ita vt non
possit conueniri pro causis ciuili-
bus, aut mixtis à quoquam Iudice
seculari, aut Ecclesiastico, quàm co-
ram Conseruatore Conuentus, cu-
ius est Syndicus, sub pœna excom-
municationis ipso facto incurrendæ
ab eo qui contra attentaret. Quod
profectò iustum est, cum sit persona
annexa Religioni, & Vicarius Papæ.
art. 4.

PROFESSIO.

Vide Abbatissa, Nouitius.

DVplex est Professio, expressa,
& tacita. Expressa est, quæ fit
verbo tenus in manu Prælati poten-
tis incorporare. Tacita fit, quando
Nouitius finito anno probationis
in habitu Nouitiatus sciens & vo-
lens, assumit habitum professorum,
Fratribus seu incorporare potenti-
bus licentibus non esse professum,

Z. 2

&

356 PROFESSIO,
& consentientibus, vt sicut deside-
rat, tacite profiteatur. *tom. 3. q. 17.*
art. 1.

Professio expressa inualida ex
inutili consensu vtriusque partis,
conuentus, scilicet, & profitentis; v.
g. si nulla pars consensit, vel facta
est ante annum probationis exple-
tum; non potest postea tacite rati-
ficari, nisi vtriusque partis consen-
sus saltem tacitus accedat. *art. 3.*

Si autem nulla fuerit defectu
profitentis, v. g. si facta fuerit ante
etatem: sufficit postea adueniente
etate ipsius solius tacita ratihabitio;
si vero nullitas proueniat ex inutili
consensu Conuentus, quando v. g.
maior pars non consensit, sufficit
ipsius partis consensus. *ibid.*

Dubium non est, quin post *Conci-
lium Tridentinum* professio ante an-
num probationis expletam sit nulla,
art. 5.

Professio cum conditione incō-
patibili emissa, vt v. g. quod pote-
rit profitens aliquid acquirere, &
tamquam sibi proprium retinere,
licet à Prælato recipiatur, irrita est
& nulla; secus est, si conditio sit
com

PROFESSIO. 357

compossibilis ; vt quod poterit possidere more Monachorum : tunc enim talis conditio habetur pro non posita. *art. 6.*

Receptio ad Professionem iure pertinet ad Prælatum , & Conuentum in quo fuit educatus : quod si alterius consensus desit , licet non sit ipso iure , nulla est , tamē talis declaranda , si constiterit , maiorē partem communitatis iustē nō consensisse , nec ei obligabitur Conuentus , quamuis (vt ait Nauarr.) ipse Superior esset Generalis. *art. 7.*

Monachus iam professus transiens ad alium Ordinem , tenetur de nouo vouere : aliās enim non transiret in alterius iurisdictionem , nec à prioris Monasterij iurisdictione liberaretur. *art. 8.*

Professio laborantis morbo Gallico , aut alio simili contagioso , vel scandaloso , valida est , si solum ius cōmune attendatur ; nisi statuto aliquo Papali in aliqua Religione irritetur , sicut fit in Ordine minorum , ex priuilegio Leon. X. qui concessit quod scādalosis delictis notati possent expelli à Provincialibus , quorū

consciētias super hoc onerat. *art. 9.*

Etsi Nouitius finito anno probationis iuxta *Conc. Trid.* debeat statim admitti aut reici, non tamen necesse est statim profiteri; sed prout ante ipsum *Concilium* ius permittebat, ita etiā iusta interueniente causa vsque ad sex mēses professionem recepti differre licet. *art. 10.*

Professio Regularis exēpti necessario in manibus Prælati potentis incorporare Ordini emittenda est; vnde facta in manibus Episcopi, nulla erit. *art. 11.*

Quamuis sola Superioris ratihabitione reualidetur. Et idem dicendum de facta in manibus simplicis Religiosi, nullum ad id mandatum habentis; antequam Superioris ratihabitionem, tale votum simplex dumtaxat est, nec matrimonium dirimens. *art. 12.*

Hæc etiam Superioris ratihabitione necessaria est, antequam incipiat currere & computari annus probationis recepti per Fratrem, cui neque ex officio, neque ex Superioris commissione talis receptio competit. *ibid.*

Profes

Professio facta per procuratorem ad hoc specialiter deputatum, valet, quemadmodum & matrimonium, nisi cum Nouitius reuocarit, ante emissam professionem; quia sic non valeret, quamuis reuocationis notitiam ipse Procurator non haberet.

art. 13.

Excommunicatus valdè profiteretur, peccant tamen Fratres scienter eum recipientes, nisi id propter rescriptum Papæ fecerint; sed tunc Professio est nulla, quia tale rescriptum est inualidum, nisi (vt communiter fieri solet) in eo absoluator, quoad hunc effectum

art. 4.

Professio facta ex metu sufficiente ad irritandum, nunquam per tacitum consensum Nouitij ratificatur, etiamsi per multos annos habitum gestet, & se Fratrem cum aliis nominet: præsumitur enim manere in sua noleitate, saltem si pluries eam testatus fuerit, nisi expressè contrarium velit. art. 15.

Concilium Tridentinum dat quinquennium nulliter professo ad reclamandum, si tamen tempore illo

commodè reclamare potest : nam alias non est excludendus, si causam attulerit. Deficiente itaque reclamatione, etiamsi non ratificet professionem, habetur pro professio in foro fori, non tamen in foro conscientiae, quamuis sacros Ordines recipiat. *art. 16.*

Puellæ educatæ in Monasterio, si suafu Abbatissæ fiat monialis, etsi se professam confessa sit in Monasterio coram Prælato aut Ordinario, postea tamen in securo loco reclamanti, & coram Commissario ad id deputato se non intendisse vouere iuranti, credendum est : præsumitur enim, primam confessionem factam fuisse ob timorem reuerentialem, & in loco non tuto. *art. 18.*

Excommunicationem *Conc. Trid.* ipso facto incurrunt cuiuscumque qualitatis sint, qui virginē, viduam, aut fœminam ad profitendum, vel intrandum Religionem coegerint, præterquam in casibus in iure expressis. Quique consilium, fauorem, aut auxilium dederint; vel scientes eam non sponte ingredi Monasterium, aut habitum suscipere, aut pro

PROFESSIO. 361

professionem emittere, quoquo modo eidem actui presentiam, confensum, vel auctoritatem interposuerint. *art. 19.*

Quamuis Regula Minimorum decem & octo annos ad professionem requirat, tamen post *Concil. Trident.* valida est facta ante illud tempus, completo Novitiatus anno. *art. 20.*

Criminosi post processum contra ipsos inceptum assumptis habitum, & vouentes nihil faciunt: presumitur enim fraus ex parte illorum. *tom. 2. q. 2. art. 3.*

Filius relinquens parentes in aliquali tantum sui indigentia, non peccat profitendo in Religione; si verò sint in maxima, & multo magis in extrema necessitate, peccat mortaliter contra quartum præceptum; talis tamen professio tenet; cum nullum sit ius illam annullans; constitutio enim *Pij V.* irritans professionem grauari ære alieno supra facultates, agit de ciuili, non de naturali obligatione. *tom. 3. q. 13. art. 5.*

Votum tamen filij emissum du-

Z 5 can

rante necessitate magna parentum, qualis est v. g. si ideo seruire, aut mendicare cogantur, licet sit validum, non obligat ea perseuerante sed tenetur filius eis subuenire: votum enim non potest iuri tertij præiudicare, præsertim vbi ius est naturale, aut saltem gentium, quale est filij obligatio erga parentes. *ibidem.*

Si tempore professionis filij, necessitas parentum non erat magna, ita vt filium obligaret ad subuentionem parentum; secundum probabiliorem sententiam, facta professione, nullo amplius iure tenetur, nec potest contra obedientiam Superioris eis subuenire, quamdiu non sunt in extrema necessitate, præsertim cum obligatio reddendi vota sit primæ tabulæ Decalogi, obligatio autem filij ad parentes sit secundæ. *tom. 2. q. 58. art. 3.*

Professio simoniacè facta est quidem iure iniusta, reuera tamen valida, per quam professus licet excommunicatus transit de foro sæculari ad regulare, tamen, nisi cum eo dispēsetur; non acquirit ius ad portionem

PROTECTOR. 363

tionem victualem in communi, vt alij Monachi, & Regulares Canonici professi, cum illa portio Regularis sit quoddam beneficium Regulare. *tom. 3. q. 63. art. 3.*

PROTECTOR.

G Rég. IX. qui antea primus omnium Fratrum Minorum Protector fuit, statuit, vt in tribus tantum casibus Ordo subiiceretur Protectori. Primus, quando ab vnitatem fidei deficeret. Secundus, quando ab obedientia Romani Pontificis recederet. Tertius, quando ab obseruantia Regulæ. Idem grauitè puniendos statim, & ab omnibus actibus legitimis suspendit ipso facto, qui ad dictum Protectorem recurrunt pro licentiis, & aliis consimilibus impetrandis, & hoc à multis confirmatum fuit. *tom. 3. q. 42. art. 1.*

Protector Ordinis Fratrum Minorum est in omnibus proprius Superior Clarissarum, Urbanistarum ex Regula; Prouinciales Fratrum Minorum ex concessione *Inly I I. art. 2.*

PRO

364 QVADRAGESIMA.
PROVINCIA.

PRouincia non potest de nouo erigi, aut aboleri sine expressa Papæ licentia. *tom. 1. q. 23. art. 8. & tom. 3. q. 43. art. 1.*

QVADRAGESIMA.

Ivs antiquum mandat Quadragesimam inchoari ab omnibus Clericis à Dominica Quinquagesima, cuius obligationem iam vsus contrarius aboleuit; non tamen in nostra & multis aliis Religionibus, in quibus duobus illis diebus ex vsu antiquo saltem in communitate ieiunatur. *tom. 3. quest. 45. artic. 1. & 2.*

QVARTA.

Vide Canonica portio.

REFORMATIO.

Concil. Trident. sess. 25. de Regul. cap. 1. mandans Regulares reformare ad primum præscriptum Regula, non intendit obligare ad primum modum viuendi Regularem, cum multa vtiliter pro temporum & occasionum varietate sint statutis, aut priuilegiis immutata,